



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XLVII. De tertio Decalogi Præcepto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

82 Erot. Eccles. Cap. XLVII. De Tert. Decal. Præcepto.

Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 43. Alcanius Tamburin. de Jure Abb. tom. 2. disp. 19. quæst. 8. & ipse Thom. Tamb. dict. lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 4. num. 46. 47. & 48. ubi refert ipsa Privilegia; & num. 49. ubi ponit Catalogum Votorum, à quibus possunt Confessarii Regulares absolvere pœnitentes. Idem ego docui de Pœnitentia decis. 46. num. 19.

71. *Quer.* An Abbatissæ possint dispensare, vel commutare Vota suarum Monialium, vel Novitiarum? *Resp.* Negativè. Nam irritare quidem Vota earum possunt ob auctoritatem dominativam, qua polent; non autem dispensare, vel commutare; quia opus est jurisdictione Ecclesiastica, qua ipsæ carent. Sanchez lib. 4. Decal. cap. 39. num. 7. & Tambur. dict. lib. 3. cap. 16. §. 4. n. 9. Vide dicta supra cap. 10. quæst. 6.

72. *Quer.* Cum dictum sit, opus esse iusta causa ad dispensandum in Votis; quæ etiam requiritur, etsi minus urgens, ad commutandum; quæ sit iusta causa ad effectum præmissum? *Resp.* Iustam causam esse: 1. Imperfectam deliberationem in voto, vel respectu ætatis, vel iræ, vel alterius passionis, vel timoris naufragii, aut alterius mali. 2. Si damnum aliquod considerabile imminet in executione voti. 3. Si ex dispensatione sequatur bonum majus spirituale. Dicitur spirituale, quia bonum temporale sequitur sufficit ad commutandum Votum, non etiam ad dispensandum. 4. Si agatur de evitando gravi damno etiam temporali alicujus alterius personæ. Tamburin. d. lib. 3. cap. 16. n. 10. & seqq.

73. *Quer.* An sit differentia inter potestatem Episcopi; & inter potestatem Regularium quoad dispensationem, vel commutationem Votorum? *Resp.* Hanc esse differentiam, quod Episcopi dispensare possunt cum solis suis Diocesanis; At Regulares cum omnibus ad se accedentibus. Item Regularium potestas non se extendit ad illa quinque Vota reservata Summo Pontifici; At potestas Episcoporum aliquando se extendit etiam ad illa quinque, puta si sint pœnalia, factave sub conditione; vel in casu urgentis necessitatis. Item Episcopi possunt delegare alii dictam potestatem; non autem Regulares. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 27. Pellizar. d. tract. 8. cap. 3. num. 153. & Tambur. dict. cap. 16. §. 4. num. 50. & 51. Porro convenit Potestas Episcopi, & Regularium, quia utrique possunt dispensare, vel commutare extra Sacramentum Confessionis, ac etiam absentibus, & per litteras. Item utrique dispensant in votis conditionatis, vel pœnalibus (excipe illa quinque reservata Papæ.) Item utrique dispensant in voto castitatis emisso à Coniuge ad effectum, ut possit petere debitum. Tamburin. ibid. num. 52. 53. 54.

76. *Quer.* Qui possint commutare Vota? *Resp.* Omnes supradicti, quibus potestas est dispensandi; ac ulterius ipse vovens, si commutet in melius, nisi agatur de præjudicio Tertii, ut si vovisses dare

decem Titio pauperi, qui acceptavit obligationem tuam; non enim poteris commutare votum illud, dando alteri viginti. Tamburin. dict. lib. 3. cap. 16. §. 5. num. 4. & 5. At commutare in minus, ipse vovens non potest, imò neque Episcopus, neque Superior, aut Confessarius absque iusta causa, quamvis sit tempus Jubilæi. Tambur. dict. §. 5. num. 8. & 9. In æquale autem, utrùm ipse vovens possit suum votum commutare, alii asserunt, alii negant, quos citat Tambur. dict. §. 5. num. 12. 13. & 14. ubi dicit, utramque opinionem esse probabilem; præcipue si iusta aliqua causa sic commutandi concurrat; & æqualitas servetur, juxta doctas regulas, quas ipse adjungit ibid. §. 6. quem adire juvabit, ubi de commutando aliquo Voto contingat.

77. *Quer.* An facta commutatione voti, liceat redire ad primum votum? *Resp.* Affirmativè. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 27. Tamburin. dict. cap. 16. §. 7. num. 4. Quod si materia commutata fiat impossibilis, non est opus reassumendi primum votum; quia primum votum jam extinctum est. Idcirco, si oratio, vel elemosyna ex voto commutata sit in jejunio certi alicujus diei; & in illo die tu non potuisti jejunare ob infirmitatem, non es obligatus facere pristinam orationem, vel elemosynam. Castropal. de Voto disp. 2. punct. 18. num. 2. Tamburin. dict. lib. 3. cap. 16. §. 7. num. 1. Quæ quidem sunt intelligenda de commutatione facta à Superiore. Quandoquidem si propria auctoritate vovens commutasset sibi votum in materiam majorem, vel æqualem, & hanc adimplere non possit, utique tenetur servare primum votum. Tamb. d. §. 7. n. 6.

78. *Quer.* An Votum perenne factum ab aliqua Communitate jejunandi tali die, vel eum servandi festivum de Præcepto singulis annis, obliget omnes posteros, ac successores ejusdem Communitatis? *Resp.* Affirmativè. Gobatus in Theol. Exper. tract. 5. num. 86. ubi DD. qui suadant in assignanda ratione hujus obligationis, de qua videatur S. Thom. 2. 2. quæst. 98. art. 2. & Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 15. num. 16. 17 & 18.

CAPUT XLVII.

De Tertio Decalogi Præcepto.

1. *Quer.* Quid jubeat hoc Præceptum? *Resp.* Sanctificationem Festorum juxta illud: Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Exod. 20. 9.

2. *Quer.* Quid intelligerent Hebræi appellatione Sabbati? *Resp.* Quod intelligebant tria. 1. Ultimam diem hebdomadæ, quam etiam nos Sabbatum vocamus. 2. Totam integram hebdomadam, idcirco dicebat Pharisæus ille: Jejunio bis in Sabbato. Luc. 18. id est, bis in hebdomada. 3. Quamlibet diem festivam, cujus sanctificatio erat injuncta Hebræis, quibus dictum erat Levit. 23. A Vespere in Vespere celebratis Sabbata vestra; id est, festivos dies vestros. Pax Jordan, rom. 2. lib. 11. tit. 1.

tit. 1. num. 4. Card. Tolet. lib. 4. cap. 24. Tirsin. in *Chronic. sacr. cap. 3.*

3. *Quer.* Quare Judæis erat festiva septima dies Sabbati? *Resp.* Ob tria. 1. Ob memoriam Creationis Mundi, à qua Deus cessavit die septimo. 2. Ob memoriam futuri Messie, id est, qui die Sabbato requievit in Sepulchro. 3. Ad refocillandas vires tum animæ per actus Religionis, tum corporis abstinendo à laboribus. Card. Tolet. *dist. cap. 24.* & Jordan. *d. tit. 1. num. 5.*

4. *Quer.* Quare nobis Christianis sit festiva dies Dominica? *Resp.* Quia, ut habetur in sexta Synodo Generali Constantinopolitana cap. 8. In die Dominico Deus lucem condidit: in eo Manna in Eremo pluit; in eo nasci dignatus est: in eo Stella Magis resulsit; in eo baptismum in Jordane à Joanne suscepit: in eo ipse prius Redemptor sponte pro salute nostra à mortuis resurrexit: in eo Spiritum Sanctum super discipulos infudit &c.

5. *Quer.* Quare mutatum sit Sabbatum festivum in diem Dominicam, cum de eo dictum fuerit; *Exod. 31. Pactum est sempiternum, signumque perpetuum?* *Resp.* Quia erat ceremoniale, & umbra futuri Messie, per cujus adventum cessavit; sicut lux superveniens facit cellare umbras, ac tenebras. *cap. Pervenit, de Consecrat. dist. 3.* Jordan. *ubi supra num. 10.* & de mutatione festivitatum Judæicarum in festos dies Christianorum videndus S. Thom. 1. 2. *quest. 103. art. 3. & 4.* atque Nicolius in *Floscul. Verb. Festum.*

6. *Quer.* Quot requirantur ad Sanctificationem Festorum? *Resp.* Tria requiri. Auditionem Missæ. Abstinentionem ab operibus servilibus. Et Cessationem ab actibus forensibus. Cajetan. in *Summ. Verb. Fest. Violatio.*

7. *Quer.* Qui possint indicare dies festivos? *Resp.* Summus Pontifex in toto mundo. *cap. Conquestis, de Feriis, cap. 1. de Conf. dist. 3.* At etiam Episcopus in sua Diocesi de consensu sui Capituli. *cap. Cum Clerici, de Verb. significat. Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 1. num. 1. & 3.* ubi observat, Urbanum Papam Octavum, in sua Bulla *Idib. Septembr. anno 1642. Incipien. Universa per Orbem.* (Quæ est in Bullario, la 291. tom. 5. & quam ponit per extensum Jordan. *dist. tom. 2. lib. 11. tit. 1. num. 198.*) restrinxisse dies festos ad numerum in eadem Bulla terminatum; & quoscunque alios dies vel ex consuetudine, vel ex alia lege festivos non esse obligatorios; sed non abtulisse facultatem Episcopis indicendi aliquem diem festum de consensu Cleri, & populi; etsi eos monuerit, se conformes reddere eidem Bullæ.

8. *Quer.* An extantibus pluribus Sanctis Patronis unius Civitatis, earum festa sint omnia de Præcepto? *Resp.* Negative; sed dies festus Patroni principalioris tantum est servandus de Præcepto; aliorum verò Sanctorum Patronorum dies festi non sunt de Præcepto, sic statuente Urbano VIII. in dicta Bulla. Ita Squill. *de Obligat. Episc. part. 3. cap. 37. num. 3.* Hinc Patavin. Festum Sancti Prodocimi est de Præcepto, Festa verò Sancti Danielis, Antonii, & Justine, non sunt am-

Doct. Clericis Tom. II. Lib. VII.

plius de Præcepto, quia hi sunt Patroni minus principales; S. Prodocimus verò est iisdem principalior.

9. *Quer.* An sit servandus dies festus inditus à Principe laico ob aliquam victoriam, vel aliam publicam causam? *Resp.* Esse servandum ob obedientiam debitam Principi, sed non ob virtutem Religionis; ideo, qui absque contemptu non abstineret ab operibus servilibus, non peccaret. S. Antonin. in *Summ. 2. par. tit. 9. cap. 6. §. 1.* Tambur. *dist. lib. 4. cap. 1. §. 1. num. 2.*

10. *Quer.* Qua hora incipiat dies festivus? *Resp.* A media nocte antecedenti; & durat usque ad mediam noctem subsequentem. Abb. in *cap. 2. de Feriis. Sylvest. Verb. Dominica, num. 4.* Et dixi de Sacrificio Missæ *decif. 39. num. 21.*

11. *Quer.* Quæ sit prima obligatio adimplenda in die festo? *Resp.* Auditio Missæ; & ad hanc tenentur omnes baptizati, exceptis parvulis, amentibus, & aliis habentibus legitimum impedimentum. Tambur. *dist. lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 1.*

12. *Quer.* An, qui integram Missam non audit, satisfaciatur præcepto? *Resp.* Satisfacere, si eam audiat saltem ab Evangelio usque in finem. Vel saltem à principio usque ad communionem. Tamburin. *dist. §. 1. num. 3.* ubi adjungit ex mente Card. de Lugo *disp. 22. de Euchar. num. 4.* satisfacere, si audiens Missam discedat tempore consecrationis, sed revertatur ante Communionem.

13. *Quer.* An accedens ad Ecclesiam, dum dicitur Præfatio Missæ in die festo teneatur reliquum ipsius Missæ audire, si alia haberi non possit? *Resp.* Affirmative. Secus, si facta fuisset consecratio. Card. de Lugo *dist. disp. 22. num. 6.* Tamburin. *dist. §. 1. num. 5.* rejecto Joan. Sancio *disp. 15. num. 5.*

14. *Quer.* An sit præceptum genuflectendi ad Missam? *Resp.* Negative, sed cavendum ab irreverentia, quæ esset culpa mortalis in non genuflectente ad elevationem Sacramenti, absque impedimento; ut docet consuetudo Christianorum. Tambur. *d. §. 1. num. 8.*

15. *Quer.* An satisfaciatur Præcepto, qui audit mediam Missam unius Sacerdotis, & aliam mediam alterius? *Resp.* Asserere plures Theologos relatos à Tamburino *dist. §. 1. num. 10.* qui contrarium tenet; & hodie est Propositio damnata ab Innocent. XI. la 53. de qua Cardenas in *Crisi Theolog. dissert. 32. num. 41.*

16. *Quer.* Quæ præsentia requiratur ad satisfaciendum præcepto Missæ? *Resp.* Requiritur præsentiam moralem, & humanam, ut scilicet fidelis vel audiat, vel videat Sacerdotem celebrantem; aut saltem sit vicinus aliis adstantibus, audientibus vel videntibus, etsi non posset ingredi Ecclesiam ob multitudinem populi, vel aliud legitimum impedimentum. Card. de Lugo *de Euchar. dist. disp. 22. num. 21.* Tamburin. *dist. §. 1. num. 11. & seqq.* ubi notat dormientem tempore Missæ, vel confitentem sua peccata non satisfacere, juxta Sanchez *conf. Moral. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 33.* & Azorium 1. *part. lib. 7. cap. 7. qu. 8.*

L 2

17. *Quer.*

84 Erot. Eccles. Cap. XLVII. De Tert. Decal. Præcepto.

17. *Quer.* Qua intentione audienda sit Missa? *Resp.* Intentione satisfaciendi præcepto. Quamvis, qui intenderet audire ex sola devotione, adhuc satisfaceret. Tambur. d. §. 1. num. 17. & 18.

18. *Quer.* An sit necessaria attentio, & qualis, in audienda Missa? *Resp.* Utique esse necessarium, attendere ad rem Sacram; & abstinere à confabulationibus, & aliis distractionibus; ut est legere historias, scribere, pingere. Non desunt tamen DD. asserentes, sufficere solam attentionem externam, quos citat, & probat Card. de Lugo de Euch. d. disp. 22. num. 27. Tambur. d. §. 1. num. 19. & in Opuscul. de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 3.

19. *Quer.* Qui sint excusati ab obligatione audiendi Missam? *Resp.* Excommunicati, Interdicti, Carcere detenti, Infirmi, distantes nimis à Templo, præcipue tempore hyemis, pluviae, vel nivis; Itinerantes, navigantes, qui vestimenta suo statui convenientia non habent; hi, quibus Superior prohibet egredi à domo; si timor sit alicujus gravis mali vel in vita, vel in honore, vel in bonis, respectu sui, vel alterius proximi; & sic excusantur, qui assistunt infirmo; ac matres, seu nutrices, quæ parvulos solos relinquere non possunt, & si ad Ecclesiam portant, molestos nimis haberent. Card. de Lugo dict. disp. 22. num. 14. & 15. Tambur. dict. lib. 4. cap. 2. §. 2. à num. 1. & seqq.

20. *Quer.* An excusentur ab audienda Missa mulieres post partum diu non egredientes domo; vel ob aliquem conjunctum defunctum; vel si factæ sint sponsæ? *Resp.* Excusari, si talis sit consuetudo, quam Episcopus non damnaverit abusivam, ut sæpe legitur in Synodalibus Constitutionibus. Tambur. ibid. num. 9.

21. *Quer.* An Peregrini qua die in eorum Civitate non est festum de Præcepto, sed ubi reperiuntur, est dies festus, teneantur audire Missam? *Resp.* Si sunt transeuntes, vel parum immoraturi, non tenentur; secus si per duas, vel tres hebdomadas ibi moram trahant. Tamburin. alios DD. cumulans d. lib. 4. cap. 2. §. 2. num. 10. & 11.

22. *Quer.* An Peregrinus, in cujus Patria est dies festus; non autem in loco, ubi reperitur, teneatur ibi Missam audire? *Resp.* Negativè; etiamsi discessisset à Patria manè diei festi. Tambur. pluribus citatis DD. d. §. 2. num. 12. ea ratione, quia poterat differre auditionem Missæ usque ad meridiem; & eo tempore reperitur in loco, ubi non est obligatio.

23. *Quer.* An qui discedit à sua Civitate die, quo ibi celebratur festum Sancti Rocchi, & accedit ad aliam Civitatem, in qua celebratur festum S. Hyacinthi, si non audit Missam in sua Civitate, teneatur eam audire in ista? *Resp.* Negativè. Ratio de prima sua Civitate, quia discessit, durante tempore audiendi Missam in ea usque ad meridiem. Ratio de secunda, quia in ea Civitate est peregrinus, & advena. Tambur. d. §. 2. num. 13. Joan. Sancius in Select. disp. 54. num. 31.

24. *Quer.* An liceat omittere auditionem Missæ in die festo ad effectum interim con-

fitendi peccata? *Resp.* Affirmativè, si peccata mortalia quis habeat, & non possit deinceps, si Missam audiat, habere copiam Confessarii. Bauci in Singul. cap. 12. Tambur. dict. §. 2. num. 18.

25. *Quer.* An qui prævidet non posse audire Missam in meridie, teneatur eam audire manè diluculo? *Resp.* Affirmativè, quod si facere potest, & omittat, mortaliter peccat. Tambur. dict. lib. 4. in Decal. cap. 3. §. 3. num. 4. & de Sacrificio Missæ in Opuscul. lib. 3. cap. 6. §. 2.

26. *Quer.* An liceat solatii causa discedere à Civitate, & se conferre in locum distantem, ubi adveniente die festo non habeatur Missa? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, quas refert, occasione nobilium cuntium ad Venationes, Tamburin. d. lib. 4. in Decal. cap. 3. §. 3. num. 9.

27. *Quer.* Circa abstinentiam ab operibus servilibus in die festo, quæ sint opera servilia? *Resp.* Opera servilia ita dici ad differentiam artium liberalium; hæc etenim spectant principaliter ad animum; illæ verò pertinent præcipue ad laborem corporis, & fieri solebant solum à servis, & mancipiis. Itaque opera servilia sunt arare, fodere, ferere, ligna, lapidesve cædere, fabricare, & alias artes mechanicas exhibere. Liberales verò artes sunt concionari, consilia dare, studere, docere, discere, cantare, organa musica pulsare, choreas agere, digladiare, (vulgo *schermire*.) Tambur. alios allegans d. lib. 4. in Decal. cap. 3. §. 1. num. 1. ubi subdit alia opera esse media inter supradicta, nempe venari, piscari, iter facere.

28. *Quer.* Quo jure sint prohibita opera servilia in diebus festis? *Resp.* Jure Divino ex Levit. 28. ibi *Omne opus servile non facies in eo;* quod receptum est ab Ecclesia in cap. *Licet*, de Feriis.

29. *Quer.* An liceat facere opera servilia in die festo, non ob lucrum, sed gratis? *Resp.* Negativè, quia semper sunt in sua propria qualitate. Tambur. d. §. 1. num. 3. E contra fieri possunt liberalia ob lucrum. Ideo licet scribere, & transcribere ob pretium, characteres pro typis componere; (non autem cum torculari litteras imprimere,) acupingere, ac penicillis picturas facere, non autem colores terere; Lohner Instit. pract. tract. 5. §. 5. pag. 575. venari, piscari, (si tamen retia, & alia instrumenta sint composita, & parata) prout etiam iter agere; quamvis quo ad onera à bestiis ferenda, sit altercatio inter DD. quorum major pars concedit, esse licitum ob communem hominum necessitatem, si muliones, & Agasones prius Missam audiant. Diana par. 2. tract. 15. resol. 36. Quæ in Coordinato Opere est tom. 7. tract. 5. ref. 16. Layman. lib. 4. tract. 7. cap. 2. Tambur. dict. cap. 3. §. 1. à 6 & seqq. ubi num. 10. advertit, artem Sculptoriam esse omnino servilem, & prohibitam in die festo. Quo verò ad usum molendinorum standum esse consuetudini, quæ à Prælatiis sit approbata. Hic Patavii usus est, ut hora vigesima secunda, dum Sol ad occasum appropinquat, molendina trullantur.

Erot. Eccles. Cap. XLVIII. De Tert. Dec. Præcepto. 85

lia, quæ aquis ducuntur, molere incipiant in diebus festis.

30. *Quer.* An, qui habet servos Turcas, Mauros, aliosve infideles, possit iisdem præcipere opera servilia diebus festis? *Resp.* Negativè, quia, qui per alium facit, per seipsum facere videtur; ut ex doctrina Theologorum docet Tamburin. *dict. cap. 3. §. 1. num. 15. 16. & 17.* & aliorum apud Dianam *par. 5. tract. 14. res. 7.* Quæ in Coordinato est tom. 7. *tract. 8. res. 49.* quamvis ipse Diana recedat à dicta opinione, neque Tamburinus sit constans.

31. *Quer.* Quæ sint causæ excusantes à peccato, si fiant opera servilia in die festo? *Resp.* Brevitas temporis, id est, spatium duarum horarum. Cultus divinus, ut Templum verrere, aut parietes ornare; sed non ita eos spoliare. Necessitas corporalis, tum quoad cibum parandum, tum quoad vestes terminandas, vel medicinam componendam. Hinc ferrarii ferreas laminas equorum pedibus imponentes ob necessitatem iter agentium, excusantur; ac etiam coquentes calcem, lateres, & vitrum, si nimium damnum sequeretur ex interruptione ignis die festo. Tempore messis, vel vindemiæ, si imminet periculum bladum, vel uvarum, nisi colligantur. Si emergat occasio alicujus extraordinarii magni lucri, ut tempore piscandi Alecia, vulgò *le Sardelle*, à *Arenge*, vel Tymnos, ex *cap. Licet. de Feriis*. Tandem, quæ concernunt victum quotidianum, ut coquere panem, pulmentum, carnes, & similia, juxta consuetudinem universalem, quam admittunt Theologi apud Tambur. *dict. cap. 3. §. 2. à num. 6. & seqq.*

32. *Quer.* An peccent Barbitonfores artem suam exercentes in die festo? *Resp.* Ex communi placito DD. negativè, ex rationibus allatis per Tamburin. *dict. §. 2. num. 13.* & præcipuè ob lucrum cessans, & ob consuetudinem à Prælati approbatam; de vi autem consuetudinis in hac materia plura congerit idem Tambur. *ibid. à num. 21.*

33. *Quer.* Si res faciendæ in die festo habeat causam dubiam, quid agendum? *Resp.* Petendam esse dispensationem, quam dare possunt Papa, Episcopi, alique Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes; ac etiam Parochi ex universali Episcoporum concessione; qui omnes tali casu bene faciunt, si aliquam elemosynam injungant. Laym. *lib. 1. tractat. 4. cap. 22. num. 29.* Tamburin. *dict. lib. 4. in Decalog. cap. 3. §. 2. num. 36. 37. & 38.*

34. *Quer.* An in die festo sint licitæ nundinæ, & mercatus? *Resp.* Affirmativè ob universalem consuetudinem, & communem populi necessitatem; cujus causa permissum est artificibus suas artes vendere; ut hic Patavii conceditur Cerdonibus tenere apothecas semiapertas, & calceos vendere, præcipuè rusticis, die festo Urbem petentibus. Tambur. *dict. lib. 4. cap. 4. §. 1.*

35. *Quer.* Qui sint actus forenses, à quibus abstinendum est diebus festis? *Resp.* Sunt citationes, formationes processuum, & expeditiones, ac sententiæ; quæ non solum

sunt illicitæ, sed nullæ, & invalidæ, si fiant in die festo; nisi agatur de Religione, vel de personis miserabilibus suffragandis. Layman. *d. lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 7.* Tambur. *dict. lib. 4. cap. 4. §. 1. num. 4.* ubi advertit, non esse illicitas collationes beneficiorum, præsentationes, aliosvè actus voluntariæ Jurisdictionis.

36. *Quer.* An die festo sint licita juramenta? *Resp.* Judicialia non esse licita. *cap. 1. de Feriis.* Alia esse licita, sic consuetudine Textum illum interpretante. Layman. *d. cap. 2. numer. 8.* & Tamburinus *dict. §. 1. numer. 8.*

37. *Quer.* An testes possint examinari die festo? *Resp.* Affirmativè, si iisdem datum sit juramentum præcedenti die, vel nisi agatur de causa criminali, ob bonum Reipublicæ. Nicolius in *Lucubrat. Canonic. lib. 2. tit. 9. de Feriis num. 5.*

38. *Quer.* Qui possint punire transgressores festorum? *Resp.* Tam Episcopi, quam Magistratus Sæculares; & inter eos datur locus præventioni juxta Bullam S. Pii V. Incipien. *Cum primum Apostolatus*, §. 7. Nicolius *dict. tit. 9. num. 6.*

39. *Quer.* An Regulares teneantur servare dies festos indictos ab Episcopis? *Resp.* Affirmativè. Concil. Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 12.* ad quod cogi possunt censuris, ut pluries declaravit Sac. Congregatio, cujus decreta refert Nicolius in *Lucubrat. Can. lib. 3. tit. 31. de Regular. num. 27.* ubi notat, eosdem Regulares posse eo die servare suum ritum quo ad Officium, & Missas; sed in concionibus, & sermonibus publicis debere se conformare textui Evangelii, quo illo die utitur Clerus Sæcularis.

40. *Quer.* An Regulares possint annunciare Festa, & Vigilias populo? *Resp.* Negativè, quia hoc spectat ad Parochos; ut ex Decreto Sac. Congregationis notat Nicol. in *Flosc. Verb. Festum num. 8.*

41. *Quer.* An Larvæ, Choreæ, Comœdiæ, ac similia sint licita diebus festis? *Resp.* Non esse licita; quamvis tolerentur in multis Civitatibus. Romæ enim nunquam fiunt in die festo, neque in die Veneris, neque Anno Jubilæi, neque Sede Apostolica vacante. Nicol. *d. Verb. Festum num. 17.* In bacchanali hujus anni 1702. fuerunt omnino prohibiti Romæ à Summo Pontifice Clemente XI. attento bellorum flagello in Italia sæviente.

42. *Quer.* An Episcopi possint facere casum reservatum transgressionem Festorum? *Resp.* Negativè, ut pluries respondisse S. Congreg. testatur Nicol. *d. Verb. Festum, num. 26.*

43. *Quer.* An sint audiendæ tres Missæ in die Natalis Domini; vel Missa in die Veneris Sancti, si incidat festum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis in eo? *Resp.* Negativè, ex decreto S. Congreg. de quo Macer in *Hierolex. Verb. Parasceves*, & Summa Diana *Verb. Missam audire num. 10.* Ratio est, quia in die Parasceves non fit Sacrificium, & non consecratur Hostia, ut dixi de *Sacrif. Missæ decis. 31. num. 21.*